*MASTER NEGATIVE*
*NO. 93-81216-11*

*AUTHOR:*

FRIEDE

*TITLE:*

DE CARMINE HORATIANO...

*PLACE:*

BRESLAU

*DATE:*

1860

Master Negative #

93-81216-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87HN
EZ6

Friede,

...De carmine Horatiano duodetricesimo libri primi, scripsit Friede... Breslau, Grass, 1860.

25 p. 25 cm.

At head of title: Zur öffentlichen prüfung der schüler des hiesigen Gymnasiums zu St. Maria Magdalena... ladet ehrerbietigst ein Dr. Carl Schönborn...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-29-93 INITIALS Susan

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Zur

# öffentlichen Prüfung der Schüler

des hiesigen

## Gymnasiums zu St. Maria Magdalena,

welche zum Beschluss des Schuljahres

**am 28. und 29. März**

**im grossen Hörsaale veranstaltet werden soll,**

so wie

## zu der Redeübung am 30. März

ladet ehrerbietigst ein

**Dr. Carl Schönborn,**
Director, Rector und erster Professor, Ritter des rothen Adlerordens vierter Classe.

---

1) De carmine Horatiano duodetricesimo libri primi, scripsit Friede[illegible]
2) Schul-Nachrichten, verfasst vom Director.

---

**Breslau, 1860.**
Druck von Grass, Barth und Comp. (W. Friedrich).

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.
Hor. Epist. I, 6, 67 sq.

Quotquot verba de singulis Horatii carminibus a viris doctis atque eruditis facta sunt, quotquot opiniones de eorum argumentis ac sententiarum nexu ab interpretibus recentioribus prolatae sunt, dubito an contendam de nullo huius poëtae carmine plura ac magis diversa et dicta et scripta esse quam de libri primi duodetricesimo, quod plerumque inscribi solet „nauta et imago Archytae Tarentini.“ Alii enim totum carmen Horatio abrogant, alii singulos versus interpolatos habent ideoque eiiciendos statuunt: quamquam maxima interpretum pars ab eiusmodi audacia abhorret neque ullum locum interpolationi relictum esse iudicat. Huc accedit, quod ii, qui hoc poëma integrum vatis Venusini naturam et indolem olere censent, in duas partes inter se quam maxime contrarias abeunt: alteri enim rationibus non male inventis et undique repetitis diverbium praesto esse acriter confirmare student, alteri totam huius carminis orationem uni tribuere conantur. Sed utut res se habet, ne inter eos quidem, qui uni alterive parti favent, firma sententiarum consensio invenitur. Nec enim minus quaeritur primo, sive unus loquitur, quis ille sit, Archytasne an Horatius ipse an alius aliquis, sive duo inter se colloquuntur, quinam hi sint, utrum nautae Archytas an naufragi alius umbra respondeat; deinde, unde alterius verba incipiant, a versu septimo an a versu quarto decimo an a versu vicesimo uno. Quae quum ita sint, mihi quidem occasione oblata operae pretium visum est varias sententias de carmine duodetricesimo propositas hinc illinc conferre, in ordinem quendam redigere, inter se comparare et ex ingenti earum mole eruere certisque argumentis stabilire eam, quae quum vera vel certe veri simillima tum Horatio poëta et Archyta viro sapientissimo non indigna sit. Audeo igitur in arenam, ut ita dicam, Horatianam descendere et quantum possum tantas componere lites; nolim vero inter eos referar, quos B. G. Weiskius non illepide carpit hisce fere verbis: Hoc carmen, inquit, speciem praebet hominis, quem

propter haud vulgarem et animi et corporis indolem amici artis medicae periti et imperiti desperantes circumstant vel etiam remediis omne genus crudelissime vexant.[1])

Primum quidem, praesertim quum nuperrime Martinus in epistola ad Frid. Ritschelium plenius dixerit[2]) in carmine I, 28. inesse duarum personarum sermonem et nautae cum Archyta et naufragi alicuius cum nauta, quid de eorum rationibus, qui carmen duobus tribuant, statuendum sit, quam accuratissime disseram. Interpretum autem, qui ab his partibus stant, longe plurimi inter nautam litus Matinum legentem et Archytae aut tenui arena conditi aut etiamtunc insepulti umbram dialogum esse contendere solent: quod quo iure factum sit, videamus. „Jam antiquitus," inquit Gerberus[3]), „Helenius Acro et Pomponius Porphyrio scholiastae vera rei conditione cognita dialogum tutati sunt. Nec aliter iudicavit commentator Cruquianus; ait enim hanc odam ἐκ τῆς προσωποποιΐας inducere corpus naufragi Archytae ad litus expulsum conqueri cum nauta praetereunte de iniuria, nisi ab eo sepeliatur." Quam sententiam merito refutaverunt Peerlkampius eiusque asseclae, quod neque in scholiastarum neque in commentatoris illius dictis certi quidquam inveniretur, quo orationem unius praesto non esse appareret. Licet enim cum alio homine conquerans, facile tamen fieri potest, ut tibi non respondeat. Ac si libenter concedas per vocem προσωποποιΐαν indicari vim quandam dramaticam huius carminis, non inde sequitur, ut μονολογία talem indolem nunquam prodere queat. Sed ne credideris vocabulo προσωποποιΐᾳ nullam aliam notionem exprimi nisi quae a Gerbero afferatur. Ac quid est quod affirmemus Archytam ipsum quum naufragio perisse tum sepultura carere? Iam vero Weiskius recte monuit[4]) mirum esse, quod veterum scriptorum, qui imprimis fatales virorum illustrium exitus memorarent, nullus memoriae tradidisset Archytam misere undis interisse. Et ne viri docti quidem, ut Diogenes Laertius, qui talium rerum cupidi multa ac varia undique colligebant, de clarissimi civis Tarentini obitu disseruerunt. Quod silentium omen certe argutum. At scholiastae Archytam naufragum nominant. Recte quidem: sed nihil ad rem. An auctoritas scholiastarum, quippe quae testimoniis aliunde repetitis nullo modo fulciatur, tanta est, ut ea sola niti liceat? Quis est enim quem fugiat illorum saepenumero esse res quasdam tantummodo a poëta fictas aut ab ipsis poëtae attributas, tanquam vere acciderint, sine ulla dubitatione nobis proponere? Itaque Gerberi sententiam reiiciendam censemus, qui Aristoxenum, cuius liber „βίοι ἀνδρῶν" inscriptus plane non exstat, certum testem fidumque auctorem Archytae naufragii adhibet. Multo tamen magis a vero abhorret dicere Archytam, virum domi militiaeque clarissimum, in litore diu iacuisse inhumatum ab omnibus-

---

[1]) Jahrb. f. Philol. u. Paedag. Bd. XII. H. 1. 1830: „Die 28te Ode im 1ten Buche des Horaz ist einem Scheinkranken vergleichbar, um dessen Lager Aerzte und Nichtärzte versammelt dem Grunde und dem Heilmittel des Uebels vergeblich nachsinnen und zuletzt auf die sonderbarsten Einfälle gerathen."

[2]) De Horatii carm. II, 1 et I, 28. Epistola ad Frid. Ritschelium. Programm d. Frd.-Wilh. Gymn. zu Posen 1858.

[3]) Abhandlung über die Ode des Horaz I, 28 von Gerber. Sondershausen. Programm 1839.

[4]) Weiske l. l. pag. 351.



que turpiter neglectum. Iure igitur Weiskius stuporis plenus exclamat[1]): Archytamne, inquit, summum philosophum et mathematicum, rei publicae gerendae peritissimum, in litore promontorii Calabriae a nautis frequentato haud procul ab urbe patria Tarento diutissime iacuisse insepultum! Nec assentiri possumus Gerbero, qui his verbis acerbe illusit, quasi Weiskius sola exclamatione impedire voluisset, quominus veritati fides haberetur. Argumentum enim, quo Weiskium impugnaturus erat, nec firmum nec stabile est[2]). Num Archimedes, cuius sepulcrum ignoratum ab Syracusanis, septum undique et vestitum vepribus et dumetis, Cicero quaestor indagavit[3]), recte comparari potest cum Archyta, cuius ossa in ora frequentatissima arena exigua carere dicuntur? An Ciceronis orationi non maior fides tribuenda est quam eorum, qui ex Horatii versibus sensum eliciunt, quem multi improbant, ne dicam ineptum ducunt? Quid quod hac exclamatione non opus est? Multae aliae causae obstant, ne Archytam illum naufragum esse concedamus. Iam primum quaeritur, quomodo nauta praetervehens Archytam e longinquo agnoscere potuerit. Ex vv. 35 et 36

„Quamquam festinas, non est mora longa: licebit
Iniecto ter pulvere curras."

scilicet recte coniicitur nautam in terra non esse, sed navi sua vehi: nam quae causa erat cur illo loco, ubi nec portus nec emporium ullum esset, in terram ascenderet?[4]) Corruit igitur argumentum, quo nititur Lenzius.[5]) Nauta, inquit, nescio an Tarentinus et Archytae amicissimus, civem de patria optime meritum quamvis corpore deformatum primo aspectu agnoscere debuit. Ex vv. 23—25 autem

„. . . ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare:"

non sine causa colligimus corporis in litore per longum tempus porrecti partes quodammodo iam putrescendo dissolutas et iniuria tempestatis divulsas esse. Ergo qui fieri potuit, ut nauta sciret illud, quod ex navi vix conspiciebat, Archytae cadaver esse neque alius cuiuslibet? Quas difficultates ut de medio tollat, Gerberus docere studet eiusmodi dubitationes et haesitationes non poëtarum esse, sed eorum, qui poëticae viae ac rationis prorsus sint ignari. Profecto facile esse talium rerum magnam copiam proferre. Nonne eodem iure quaeri, quomodo mortui umbra tam levis et imbecilla tantas voces edere potuerit, ut maris fluctibus valde excitatis nauta propere praetervehens eas auribus perciperet? Num dubitari posse, quin manes nisi sanguine poto in veterum fabulis non loquantur? Sed qui

---

[1]) Weiske pag. 350.

[2]) Gerber l. l. pag. 25: „Wenn eine solche Ausrufung hinreichend wäre, um die Glaubwürdigkeit einer historischen Thatsache zu verdächtigen, dann könnte man ia mit gleichem Rechte den Cicero durch folgende exclamatorische Frage einer Lüge zeihen: „„Wie, Archimedes, ein so grosser Mathematiker und hochverdienter Mann, hätte, vergessen von der ganzen Welt und von seinen undankbaren Mitbürgern, unter Disteln und Dornen versteckt so lange liegen sollen?""

[3]) Cic. Tuscul. V, 23, 64.

[4]) Martin pag. 8.

[5]) Lenz, Epistola de Horatii Oda 28, lib. I ad fratrem Chr. Lud. Lenz. Gothae 1802.

nimium probat, nihil probat. Antiqui poëtae de manium sorte ac conditione non semper eadem senserunt atque Homerus Odyss. XI, 147 sq., ubi Tiresiam Ulixi dicentem facit:

„Ὅντινα μέν κεν ἐᾷς νεκύων κατατεθνηώτων
Αἵματος ἆσσον ἴμεν, ὅδε τοι νημερτὲς ἐνίψει·
Ὧι δέ κ' ἐπιφθονέοις, ὅδε τοι πάλιν εἶσιν ὀπίσσω.“

Cuius rei Horatius ipse testis est. In satir. libri I, 8, 26 sq. quidem, ubi Priapum inducit narrantem, quemadmodum viderit Canidiam Saganamque in sepulcris artes magicas exercentes, legimus:

„. . . Scalpere terram
Unguibus et pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt: cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent animas responsa daturas.“

Sed in carmine I, 28 Horatius illum antiquis usitatissimum morem, secundum quem mortui vivos alloquuntur ab iisque sepulturam petunt, imitaturus sanguinem manibus libandum non magis curat quam alii poëtae. Cfr. Kirchmannum de funer. Rom. lib. 3, pag. 485., qui ex Nonno attulit:

„— — ἀλλὰ σύ, κούρη,
Μοῦνον ἐμοὶ φθιμένῳ γλυκερὴν περίχευε κονίην
Χειρὶ τεῇ πυμάτην ὀλίγην χάριν, ὄφρα τις εἴπῃ,
Παρθένος ὡς ἐλέαιρε τὸν ἔκτα γε.“

et Zonam in Anthol. gr. VII. 404:

„Ἀλλά σ' ἐρημαῖοί τε καὶ ἄξεινοι πλαταμῶνες
Δέξαντ' Αἰγαίης γείτονος ἠϊόνος·
Ὥστ' ἔχε μὲν ψαμάθου μόριον βραχύ, πολὺ δὲ δάκρυ,
Ξεῖν', ἐπεὶ εἰς ὀλοὴν ἔδραμες ἐμπορίην.“

et Iulianum ibidem 584.

Quid vero dicam de exemplo, quod Gerberus ad sententiam suam sustentandam ex Schilleri operibus[1]) deprompsit? Assentior iis, qui propter *ποιητικὴν* Horatii *σωφροσύνην* iudicant ferri vix posse, quod vetus poëta hominem vivum et umbram tenuem illico inter se agnoscentes finxerit. Omnino etiam cavendum est, ne temere recentiorum poëtarum carmina cum Romanorum vel Graecorum vatum poëmatis comparemus. Sed hanc rem mittamus.

Iam considerandum videtur, qui fieri potuerit, ut Archytae corpus tamdiu in litore frequentissimo inhumatum iaceret. Quis ignorat, quantopere veteres (cfr. Aelian. var. hist. V, 14) curaverint, ut pietati erga mortuos satisfacerent neve eorum debita iura violarent? (cfr. Becker Charicl. II p. 169). Quo maiore diligentia antiquitas mortuorum sorti consulebat, eo minus accidere poterat, ut Tarentini civis unius omnium ingenio ac moribus praestantissimi obliviscerentur aut Apuli viro, qui sapientiae virtutisque decus, lumen columenque patriae habebatur, munera persolvere praetermitterent, quae hominibus vel infimo loco ortis

[1]) Schiller's Räuber IV, 5.



facile darentur. Nec minus mirum est, quod nauta, praesertim quum Tarentinum esse verisimile sit — cfr. vv. 27 sq.

„— — multaque merces,
Unde potest, tibi defluat aequo
Ab Iove Neptunoque sacri custode Tarenti“ —,

miseram popularis conditionem tristemque exitum minime deplorat. Verbis, quibus civium summum maximeque egregium alloquitur:

„Nec quidquam tibi prodest
Aetherias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum“,

nihil aliud adiicit quam hanc unam vocem „morituro“. Nonne Archytas dignus fuit, cui a populari quolibet maius gratiae et venerationis documentum tribueretur, quam ut iste exclamatione tantum opus esse ratus philosophum tam illustrem moriendi necessitatem doceret? Nonne naufragi, cuius ossa tempestatibus denudata feris esui erant, sors longe turpissima? Certe, si Archytas ille naufragus esset, nauta, qui eum in priore carminis parte magnis laudibus effert, durus postea non dubitaret Archytae precibus cedere. Quamquam orationi Archytae etiam minus accommodatum fuit v. 21 sq. dicere:

„Me quoque, devexi rapidus comes Orionis,
Illyricis Notus obruit undis“,

quod iam supra nauta, quale dux clarissimus mortis genus subierit, satis cognitum habet. Cuius rei angustiis commotus Peerlkampius, qui totum carmen Archytae esse putat, vv. 19 et 20 eiiciendos censuit: nam ita ei contigit, ut vv. 21 sq. et v. 18 „Exitio est avidum mare nautis“ inter se arctius connecterentur. Praeterea Martinus nos monet nautae verba „prope litus Matinum“ non commutanda esse cum „in litore Matino“; Archytae sepulcrum recte dici p r o p e l i t u s esse, naufragio eiecti corpus melius dicendum esse i n l i t o r e, quam p r o p e l i t u s. Argumentum autem gravissimum, ubi totius litis cardo vertitur, est hoc: Ne verbo quidem nautam alloqui Archytam ab initio carminis indicat poëta — in v. 23 „At tu, nauta, etc.“ primum nautae cuiusdam persona nobis occurrit —, nedum quemquam cum Archyta nondum sepulto colloqui contendat. Verba contra „Te — cohibent, Archyta, pulveris exigui prope litus parva Matinum — munera“ docent Archytam tumulo iam conditum esse. Ac si ille vir sepultura careret, non dubito, quin omnino alia exempla ac Tantali, Tithoni, Minois, Pythagorae Horatius in memoriam revocaturus fuerit; Polynicis potius, Aiacis, Polydori, Palinuri fata repeti oportuerat[1]). Viri docti igitur ad unum omnes, quoniam ex interpretatione verborum „te munera cohibent“ fere omnia pendere persuasum habebant, arma undique comportabant, quibus adversariorum rationes repellerent. Videamus, qui palmam tulerint. Gerberus praecipue affirmat in quatuor primis huius carminis versibus recte interpretatis nullum alium sensum reperiri posse nisi Archytam inhumatum esse, sepulcrum vero vehementer desiderare. Bene primum facit, quod demonstrat Baxterum, Ianium, Mitscherlichium nec vocabulo „cohibere“ accurate perpenso nec elocutione

[1]) Brandt, Quaestt. Horatianae. Pars prior. Disputatio philologa. Monasterii 1854.

„parva munera pulveris exigui“ recte explicata tota via errasse. Neque enim cum Ianio dicendum est: „Tristis ἀντίθεσις! Te, qui totam terram mente complectebaris, nunc cohibent — munera, i. e. tu nunc terrae exiguam partem, exiguum spatium occupas; — cohibere autem i. tenere, continere non modo locus clausus dicitur, sed universe, quem quis occupat“, nec Mitscherlichii verba sunt probanda: „Cohibent te, habent te, κατέχει. Scilicet terra, regio, locus nos tenere dicitur, in quo versamur, quem occupamus, adiuncta tamen necessitatis, ut ita dicam, notione.“ „Cohibere“ profecto non idem valet ac „tenere“: quod probatur permultis exemplis. Cfr. tantum locos Horatianos Od. II, 20, 8: „nec Stygia cohibebor unda“; III, 4, 80 „Pirithoum cohibent catenae“; III, 14, 21 sq.

„Dic et argutae properet Neaerae
Myrrheum nodo cohibere crinem.“

Ubivis inveneris voc. „cohibere“ Horatium pariter uti ac retinere, prohibere, includere aliquem sive invitum sive natura eius reluctante; nunquam autem huius vocabuli sensum apud eum congruere cum simpliciore occupandi notione. Vehementer etiam errant illi interpretes, quum voc. „pulvis“ pro „terra, humo“ et voc. „munera“ in v. 4. pleonastico quodam sensu sumant. Nescio, quo iure Ianius dicat: „Munera pulveris pro pulvere; nam munus eleganti usu antiqui sermonis poëtici id quod ad rem pertinet, quod eius naturam constituit; et sic munus rei nil amplius quam res ipsa.“ Nec melius Mitscherlichius, etiamsi linguae Graecae usu nitatur: „Munera pulveris, μοῖρα, μέρος, portio exigua pulveris, arena exigua, locus exiguus, quem explet, in quo iacet corpus.“ Iam Weiskius[1]) hanc contortam parumque artificiosam explicandi rationem acute castigat: vocabulo „munus“ non tam Graecorum μέρος quam τιμή, γέρας respondere, quae vocc. potissimum de supremis in mortuos collatis officiis dicantur. Cfr. Doederlein. Synon. IV, 142. Male autem Gerberus[2]) in Gesneri partes abiit, monens vatem Venusinum quum locis obscurioribus fere semper lucem clariorem ipsum attulisse tum hic quoque id egisse, ut „parva munera“ infra plenius illustrarentur. Quod si cavendum est, ne nimis Weiskio confidamus argumentanti carminis finem non esse adhibendum ad eius priorem partem interpretandam, tantum abest, ut eius verba ridicula habeamus, ut quaeramus, num revera v. 25 „particula arenae“ et v. 36 „iniecto ter pulvere“ eodem sensu ponenda sint ac v. 4 „parva munera.“ Gesnerus vero scribit: „Malim ita, munera pulveris exigui nondum tibi persoluta, sepulturae inopia, retinent umbram tuam, ne liceat tibi Styga traiicere“; sumit igitur „munera“ sensu, ut ita dicam, negativo, quasi addita sint vocc. „tibi denegata, tibi nondum persoluta“. Quamvis

[1]) Weiske pag. 353 „Angebliche Graecismen sollen eine Bedeutung möglich machen, die man hier zu finden voraus beschlossen hatte. Wo wäre denn „munus“ bloss umschreibend gebraucht? Ueberall bezeichnet es entweder eine Gabe oder ein Geschäft. Warum führte man μέρος, was munus nicht bedeutet, an, und nicht vielmehr γέρας, τιμή, was ganz entsprechend, ebenso wie munus von den den Todten erwiesenen Ehren gebraucht wird.

[2]) Gerber pag. 9.



Dacerius[1]), Vanderbourgius, Doeringius, Schreiberus[2]), alii idem senserint, mihi tamen non probabile videtur. Iam primum quaeritur, num opiniones alioquin de Styge prolatas iure etiam, ubi non manifesto indicentur, ibi adesse suspicemur. Nonne inter omnes constat in iis rebus fabulas veteres saepenumero dissentire et poëtas sequi solere id, quod modo ex re sit. Deinde, ut cum Weiskio loquar, cave, formulae dicendi „me res cohibet“ eundem sensum tribuas ac „retinet me res valde expetenda.“ Ac quid simplicius est quam hoc loco „cohibere“ ponere pro „includere, circumdare, amplecti“, ita ut vertas: „Dich umgiebt, dich umfängt eine kleine Gabe geringen Staubes,“ non: „Die Versagung wenigen Staubes hält dich fest diesseits des Styx; dir fehlen sogar die wenigen Körner, die nöthig sind, deinen Schatten zur Unterwelt zu befördern;[3]) das Begräbniss hält dich noch hier zurück.“ Tum quotiescunque Gerberus demonstrare gestivit hic verba, quae desunt, „citra Stygem“ et „negata“ suggerenda esse, quotcunque exempla ex scriptoribus et antiquioris et recentioris aetatis contulit, ut istius oratoriae quamvis obscurae brevitatis usum confirmaret, verborum, de quibus agitur, interpretatio a Weiskio acriter defensa multo dignior est, quae collaudetur. Adversarii ipsi eam tanquam falsam non modo non reiiciunt, sed ad verborum textum bene accommodari posse concedunt. Huc accedit, quod Gerberi sententia, licet ad sermonis latini usum interdum quadret, hic tamen nimis subtile quid, ne dicam durum ac contortum habet. Num poëta elegans statim ab initio oratione tam obscura ac perplexa utitur? Quare Gerberi viam nobis non ineundam esse credo nisi dira quadam necessitate coactis omnibusque aliis interpretandi auxiliis destitutis. Sic quoque inter alios cogitaverunt Meinekius[4]) et quodammodo Eichstadius,[5]) ad quem infra mox redibo. Porro quis est, qui dubitaverit, quin totius loci vis atque ἐνάργεια, quae ex verborum oppositione oriatur, Gerberi interpretatione enervetur? Nempe hanc statuit oppositionem: Te, qui omnia perscrutatus es et permensus, mare et terram et numero carentem arenam, te nunc morantur pulveris exigui parva munera scil. denegata. At maior existit oppositionis vis, si ita explices: Te, qui omnia animo percurristi, hic pulvis exiguus, par-

[1]) Oeuvres d'Horace par Dacier. Amst. 1727 p. 248: „De petits présens de poussière vous retiennent sur ce rivage de Matine; pour dire, faute de quelques petits présens de poussière vous êtes retenu etc. Cette façon de parler n'est pas si extraordinaire qu'elle le paraît d'abord; elle nous est encore très-familière; car un homme qui partira un peu tard pour l'armée, dira fort bien, que son équipage l'a retenu, pour dire, son équipage qui n'était pas prêt, qui lui manquait. C'est donc ici une ellipse parva munera te cohibent, on sous-entend tibi deficientia, tibi negata, quibus indiges, qui vous manquent.“

[2]) Schreiberi de Horatii aliquot locis disputationes. Neo-Brandenburgi. 1824.

[3]) Gerber pag. 14.

[4]) Philologus 1850, Bd. V, 171 sq.: „Wie will man es ferner mit den Gesetzen einer vernünftigen Interpretation vereinigen, wenn die Worte „pulveris exigui cohibent te munera“ den Sinn haben sollen, Archytas liege hier unbeerdigt, und nicht vielmehr den, dass Archytas, der mit seinem Geist die Welt umfasst habe, ietzt auf den engen Raum eines winzigen Grabes beschränkt sei? Die Unhaltbarkeit iener Erklärung zeigen ia deutlich genug die folgenden Beispiele von der unabwendbaren Nothwendigkeit des Todes.“

[5]) Abr. Eichstadii Paradoxorum Horatianorum Spec. XII. Jenae 1843. pag. 4.

vus tumulus tegit.[1]) Alii quidem, ut Peerlkampius et Eichstadius, statuunt corpus mortui iam ante adventum nautae arena leviter tectum fuisse, omni ex parte vero non conditum, atque ita interpretantur: Te cohibent pulveris exigui munera i. e. quae quis praeteriens iam dederat. Hi igitur ducunt corpus totum terra obruendum fuisse, priusquam umbra ad inferos descenderet, et oppositionem definiunt talem: „Qui vivus totam terram et mare eras emensus, tibi mortuo vix paullulum arenae munus nescio cuius praetereuntis obtigit.“ At ista oppositio languet nec apta est verbis v. 36, sive Archytae sive aliusvis sunt: „licebit iniecto ter pulvere curras.“ Iusta enim soluta erant ter pulvere corpori iniecto.[2]) Quid ergo? Num Archytas idem rogat, quod iam habet? An ridiculae isti Mureti coniecturae locus est?[3]) „Quid est quod Horatius,“ inquit ille, „in Archytae Tarentini epitaphio bis pulverem nominat? Opinor eum respexisse ad superstitionem veterum, qui non integras ac solitas glebas, sed tritum ac minutum pulverem iniiciebant mortuis, credo, ne pressu dolorem eis aliquem afferrent: nam eis etiam levem ac mollem terram optare soliti erant.“ Immo vero tota Eichstadii interpretatio corruit. Falso igitur: „Nec repugnant,“ inquit, „explicationi nostrae vv. 23—36, ubi naufragus petit, ut nauta ter corpori suo pulverem iniiciat. Quidni enim petat, ut faciat idem inhumato capiti, quod alius religione motus iam fecerat?“ Quin etiam, si pro re comperta haberemus plus pulveris cadaveribus opus fuisse quam arenam manu plena ter iactam, in Gerberi explicationem iam supra refutatam denuo incideremus; illa nempe munera, quae nonnulli praetereuntes ex religiosa consuetudine in ignotum cadaver proiecerant, umbram citra Archerontem non cohibebant, sed reliqua nondum tributa. Ergo sequitur, ut is, qui vv. 23—36 a nauta sepulturam anxie petit eiusque animum obtestationibus atque exsecrationibus flectere studet, certe Archytas non sit. Denique facere non possum, quin cum Weiskio[4]) dicam mirum esse, si Horatius, quum quadringentis fere annis post Archytam mortuum floreret, Platonis aequalem inhumatum finxerit. Nec intelligo, quo iure in hanc rem Dacerii verba cadant: „N'est-il pas permis aux poëtes de s'égayer sur les histoires les plus anciennes? Et tous les temps ne sont-ils pas de leur ressort? C'est n'avoir nul goût pour la poësie que de s'arrêter à de scrupules si mal fondés.“ Horatii aetate Archytae corpus quum iam dudum sepultum esset, multo utique facilius est cogitare poëtam noto illius civis Tarentini tumulo conspecto consilium cepisse de communi omnium morte disserendi quam coniicere tempora vetustissima ab eo ideo tantum in memoriam esse revocata, ut miserrimae philosophi summi sortis describendae occasione oblata docere posset omnibus esse moriendum. Quam difficultatem ut effugerent,

---

[1]) Cfr. Simmias Theb. I (Brunck. Anal. I p. 168): *τόν σε... τὸν τραγικῆς Μούσης ἀστέρα... τύμβος ἔχει καὶ γῆς ὀλίγον μέρος.* Antipater Sidon. 69 (Brunck. Anal. II. p. 25): *εἰ δ' ὀλίγα κρύπτω τὸν τηλίκον.* Brunck. An. II. p. 124: *ἦ χθαμαλὴν ὁ τόσος ὑπέδυς κόνιν.*

[2]) Cic. de legg. II. 22. 57: iniecta gleba corpus humatum, ita ut insepulta sepultura esset. — Plin. H. N. VII, 55.

[3]) Muret. V. L. X, 19.

[4]) Weiske pag. 350.



carminis argumentum eiusque tractationem a Graeco aliquo poëta Horatium mutuatum esse quidam censuerunt. Nemini, inquit Mitscherlichius, qui vel leviter anthologiam graecam attigit, id dubium esse potest. Addit verisimillimum esse *εἰδύλλιον* vel etiam epigramma Alexandrinae aetatis poëtam nimis imitatum fuisse. Quam prudenter Weiskius monuit, ne quis Mitscherlichii vestigiis acrius insisteret: quantacunque similitudo inter singulos locos et Horatii et Graecorum poëtarum esset, inde minime effici totum carmen ipsum ex Graecis fontibus defluxisse; non Ancum nec Tullum, sed Tantalum, Tithonum, Minoem, Pythagoram nominatos esse, quod initio de Archyta Pythagoreo, homine in Magna Graecia orto, diceretur; quae indolem Venusinam proderent, satis inesse rerum, e. g. litus Matinum[1]) v. 3 et Venusinas silvas v. 26. Nam aliquot eo temeritatis pervenerunt, ut Leonidae Tarentini cuiusdam, qui circiter annum 270 a. C. vixit, carmen de flebili Archytae morte compositum Horatium in suum usum vertisse pro comperto haberent.[2])

Sed ponamus dialogum esse inter Archytae manes et nautam aliquem praetervehentem, etiamnunc in quaestione versatur, qua ratione personarum confinium constituendum sit: qua in re interpretes multum diuque desudaverunt. Notum est magnum eorum numerum versus ita distribuere, ut primi sex nautae sint, reliqui Archytae.[3]) Sed quibus argumentis ii confisi sunt? Wolfius[4]), ut cum philologorum parente disputationem incipiam, primum dicit auctoritate et scholiastarum et librorum manuscriptorum sententiam suam confirmari; hoc certe loco signum aliquod, quo diversae personae distinguerentur, iis non defuisse. Quid tamen valent ad talem rem diiudicandam scholiastarum voces? Ubi porro id libri manuscripti testantur? Nonne potius apparet, vel si tale quid in nonnullis inveniatur, eiusmodi additamenta non immerito librariis scribisve, qui interpretationem suam aliis commendari voluerint, vitio vertenda esse? At vir ille egregius dixerit gradatione quadam orationis v. 7 ineunte diversorum hominum colloquium indicari: quum enim, qui respondentis partes susceperit, lubentissime a rebus minoribus ad maiores altioresque eum ascendere solere, tum illic quoque ad Tantali, Tithoni, Minois, Pythagorae exempla afferenda transire Archytae umbram ardore animi magis effervescente.[5]) Quod quidem bene; sed non opus est inde sequi, ut homines vice alterna loquantur. Gradationi orationis non raro etiam locus est,

---

[1]) Cfr. Od. IV, 2, 27 apis Matina.

[2]) Lenz l. l. Fuhrmann Handbuch d. class. Literatur Bd. I. p. 438: „Leonidas von Tarent schrieb mehrere Epigramme, wovon verschiedene z. B. eins auf den unglücklichen Tod des Philosophen Archytas von Tarent, welches sich Horaz zum Muster seiner Ode auf den Archytas nahm, auf s. Zeitgenossen sich bezogen.“

[3]) Landinus, Lambinus, Bentleius, Ianius, F. A. Wolfius, cuius verba afferre liceat: „Fände sich auch durchaus keine Spur der ietzt üblichen Erklärungsweise aus dem Alterthume, so müsste, glaube ich, die Anlage und Manier der Ode, der Gang der Ideen, Farbe und Ton darin, die Herausgeber schon längst dahin geleitet haben.“ Mitscherlichius, Ioh. H. Vossius, Lenzius, Eichstadius, Gerberus, alii.

[4]) Cfr. Philosophische Blicke auf Wissenschaft und Menschenleben Bd. I. Stück II (V). Halle 1789 herausgegeben von Heinzelmann.

[5]) Wolf l. l. „Die Empfindung entscheidet ziemlich sicher, dass mit Occidit eine neue Gedankenreihe anfängt; der Antworter im Dialog sagt mit einem gewissen Feuer immer etwas mehr, etwas stärkeres und ausführlicheres, als der andere; es soll nicht bloss Ausführung und Fortsetzung des Gedankens sein.“

quum unius eiusdemque verba occurrunt: quin etiam, si non adesset, interdum eam desideraremus. Qua re in carminibus ipsis Horatianis ubivis vestigia huius generis dicendi repeiuntur. At inter vv. 6 et 7 sententiae distant, ita ut oratio quasi hiet. Quid? Nonne particulam „et“ tanquam externum coniungendi adiumentum additum legimus?[1]) Mea quidem sententia oratio nec abrupta nec intercisa est, sed aequabili constantique modo a rebus propioribus ad remotiores, ab Archyta ad heroës deorumque convivas procedens unam eandemque sententiam „omnibus esse moriendum“ per omnes partes exponit. Itaque non est, quod propter verba „Occidit et…, quae non sint ita comparata, ut apte cum iis, quae praecedunt, connexa esse videantur, hic vitium latere rati cum Martino ducamus pro „et“ legendum esse „ut“, praesertim quum in nullo codice, quod sciam, ea coniectura inveniatur. Immo vero cum Weiskio facimus,[2]) qui miratur stultitiam eorum, qui Tantali, aliorum exempla ab Archyta tantummodo afferri censent, ut inevitabili moriendi necessitate in universum et copiose nautae probata etiam sibi ipsi moriendum fuisse ostendat. Num nauta de hac necessitate omnino dubitabat, ut docendus videretur? Igitur quisquis hic verba facit, multo aptius ac simplicius argumentum est hoc: „Te, Archyta, quamquam terram coelumque animo peragrasti, mors abripuit. Quid mirum? Tithonus, Tantalus, Minos, Pythagoras mortem obierunt.“ Praeterea Martinus in dissertatione sua, ut pervulgatam versuum distribuendorum rationem futilem ostenderet, duo argumenta proposuit, quorum unum probo, alterum reiicio. Merito quaerit: „Quid tam longa oratione Archytae opus erat? Cur non statim sepulturam quaerit, quam celerrime fieri cupit?“ Certe enim in summi philosophi ore loci communes, quibus de inexorabili mortalium sorte agitur, maxime languent. Tum minus acute: „Si autem, inquit, Archytas exempla illa affert, ut iis se quasi consoletur, vereor, ne tum vel arrogantiae possit accusari vel levitatis, quum de Pythagora ipse Pythagoreus ita loquatur, ut si eum irridere velit.“ Nec enim intelligo, si quidem lectio usitata „occidit et“ tuenda est, qua de causa Archytas vel arrogantiae vel levitatis insimulandus sit. Minime hominem vel modestissimum dedecet dicere haec: Quum viris deorum consuetudine usis iam moriendum esset, fieri non potuit, quin ego morti succumberem? An omnino arrogantis est heroum nomina appellare de iisque vera dicere? At non dubitaveris, quin verba „… habentque — Tartara Panthoiden, iterum Orco demissum etc.“ irrisionem Pythagorae doctrinaeque Peripateticorum sapiant. Certo quidem scio, quot viri docti idem arbitrati contenderint Horatium, praeceptis Epicuri addictum, quum toto carmine tum illis verbis id imprimis egisse, ut arcana renati Pythagorae illuderet[3]); sed iis assentior, qui et rei gravitate et Archytae, viri admirandae virtutis, auctoritate asperam poëtae cavillationem suspicari prohibentur. Tantum abest, ut Pythagoras irrideatur, quod Panthoides nomina-

[1]) Cfr. Ovid. ex Ponto III, 2, 33: occidit et Theseus etc. — Hom. Il. φ, 106 sq.: *ἀλλὰ φίλος, θάνε καὶ σύ . . κάτθανε καὶ Πάτροκλος.*

[2]) Weiske pag. 355. Martin pag. 8.

[3]) E. g. Torrentius in comment: „Horatium ridere quasi Pythagoreos voluisse, ideo etiam arenam metientem finxisse.“ — Dacier l. l. pag. 246: „Horace fit cette Ode . . . pour se moquer de la ridicule opinion des Pythagoriciens sur la metempsychose, en introduisant un Pythagoricien même, qui prie de l'enterrer.“



tur nec quidquam „ultra nervos atque cutem“ (cfr. Diog. Laert. VIII, 1, 19: *δεσμά τ' εἶναι τῆς ψυχῆς τὰς φλέβας καὶ τὰς ἀρτηρίας καὶ τὰ νεῦρα*) morti concessisse dicitur, ut Horatium Pindari rationem imitaturum neque a iuvenili quadam orationis redundantia ac tumore abstinuisse et Icari sortem aegre vitasse existimem.[1]) Cfr. Od. IV, II.

Pindarum quisquis studet aemulari, I-
ule ceratis ope Daedalea
nititur pennis . .

Iam tempus est ad propositum reverti. Ex v. 14 quoque liquet inde ab v. 7 non Archytam, sed alium quem loqui; inepte enim ille verbis „iudice te“ ad nautae iudicium provocaret. Cui incommodo ut medeantur, alii nautam satis doctum intelligunt, alii ab Obbarii partibus stant, alii „te“ cum „me“ — coniecturam „iudice se“ iure omitto — commutandum putant. Sed coniectura „me“ contra omnium librorum mss. lectionem probata[2]) quid prodest? Ponamus verba „iudice me“ pariter ac „mea quidem sententia“ Latinae linguae usui respondere vel ita interpretanda esse, ut significent „quod ego iudicare possum“, tale additamentum hic saltem non modo languidum quiddam ac frigidum habet — quis est enim, qui coram philosopho Pythagoram „non sordidum auctorem naturae verique“ negaverit? — sed nimium fastidium testatur. Quidam, ut supra dixi, nautam non plane indoctum fuisse docent. Sic Carolus Fea: „Recte“, ait, „iudicium nautae, sui concivis, non imperiti Archytas appellat, quippe qui, si tanta de ipso praedicat, Pythagorae discipulo, et novisse poterat Pythagoram in rebus divinis et humanis, in physica et ethica, celeberrimum fuisse, praesertim in inferiori Italiae parte, etiam apud vulgus . . . . Pythagoram, vix Crotonam appulsum, nautis et piscatoribus primum innotuisse, qui eius scientiam in divinando admirati eam divulgarunt etc.“ Neque aliter Wolfius[3]), qui verba „te iudice“ liberius sic explicat: „Quem tu tamen iudicabis excellentem fuisse naturae verique auctorem.“ At periculum est, ne interpretes, si nautam eundem esse ac navis magistrum vel mercatorem vel omnino vectorem dicant, a vero aberrent. Nonne potius nautae notio eum indicat, cuius est navem agere?[4]) Horatius sane idem videtur sensisse; evolvas, quaeso, Od. III, 16, 15 „munera navium — saevos illaqueant duces“ et Serm. I, 5, 3: „forum Appi — differtum nautis cauponibus atque malignis“.[5]) Sed demus adversariis nautam esse doctum quendam navicularium Tarentinum, nihil inde ii lucrantur. Nam verisimile est, ut Archytas, Pythagoreorum quasi lumen, Platone paulo inferior, ad hominis

[1]) Similiter Teuffel in N. Iahrbüch. für Phil. u. Päd. Lpz. 1844: „Horaz liess sich bei der Ausführung nach seiner häufigen Art in's Weite führen und machte das Stück durch ungehörige Schwellung der didaktischen und mythologischen Partieen zu einem künstlerisch verwerflichen, unförmlichen und verworrenen. — Viele sträuben sich gegen ein derartiges Resultat, um die vermeintliche Ehre des Dichters zu retten.“

[2]) Eam ab anonymo Cuninghamii nescio an inventam recepit inter alios Ianius.

[3]) Vermischte Schriften und Aufsätze. Hal. 1802. pag. 447. Cfr. Lenz l. l.: „Modeste igitur, ne praeconium magistri Pythagorae ex ore discipuli suspectum sit, laudem *τοῦ σοφοῦ* tanquam ex ore ipsius nautae decerptam auctori suo reddit. Nec absimili modo Corydon in Virgilii Ecloga II, 26 sq. ad Alexin: Non ego Daphnin, ait, iudice te, metuam, pulcritudinis suae iudicium, ut arrogantiae speciem a se amoliatur, deliciis suis integris relinquens.“

[4]) Cfr. Klotzii Lexicon sub v. navita: „Seemann, Schiffer, Matrose.“

[5]) Kirchner z. d. Satiren pag. 163.

nullius iudicium nisi philosophi Italicae sectae addicti ita provocaverit .Quamobrem multi eo adducti sunt, ut verba „te iudice“ minus accurate interpretarentur, ne Archytas nautae quamvis liberalioris animi nimiam doctrinam tribuere videretur. Alii enim ea ita verterunt, ut Mitscherlichius: „vel te iudice i. e. quem vel tu, qui philosophiae arcanis non omnino initiatus es, non sordidum iudices“, textus, qui vocabulo „vel“ caret, parum ratione habita nec eiusmodi interpretamenti ineptiis satis perpensis; alii ut Gerberus: „daran wirst du selbst nicht zweifeln“; alii ut Obbarius: „Iedermann erkennt Pythagoras als eine Autorität an“, quasi legeretur „iudice et te et omnibus, qui de Pythagora unquam inaudiverunt“; alii: „der sag' selber“; alii aliter. Contra Doederleinius[1]) nos diserte docet „te iudice“ idem valere ac „te ex re, non ex sententia iudicante“, quippe quod nec in nautam nec in quodvis hominum genus conveniat. — Denique versuum distributio, quae vulgo habetur, minus placet, quod secundum eam duarum carminis partium aequalitas penitus tollitur: quam brevis nautae compellatio, quam longa philosophi responsio! Postremo autem monendum est, ne iis, quae Schillerus notat,[2]) nimis confidamus. Ille: „Quum poëtae Romani“, ait, „tum Horatius hominis, quem alloquitur, nomen prope ab initio orationis ponere solet. Quem quidem usum, si nautam post v. 6 non amplius loquentem facimus, non modo leviter negligimus, sed quaternorum versuum strophis a Meinekio introductis locum vix relinquimus.“ At interdum poëtae alium quem medio in carmine compellant (cfr. Od. I, 4, 14: o beate Sexti)[3]): nec tanta Meinekii auctoritas est, ut strophica eius lex etiam ad iambos accommodanda a viris doctis non impugnetur.[4]) Nam mirantur fere nusquam in hoc carmine post quaternos versus interpunctione ulla addita sententiam absolutam ac perfectam apparere. —

Novam, ut hoc deinceps memorem, partitionem fecit Ruedigerus[5]), aspernatus Dillenburgeri, Buttmanni, aliorum, de quibus infra dicam, sententias. „Nimirum“, inquit, „non negaveris vv. 1—14 „Te maris ... iudice te non sordidus auctor — naturae verique“ esse nautae et vv. 20—36 „Me quoque devexi“ usque ad finem umbrae; rem evincit pronominum personalium usus. Iam fuere, qui a v. 17, alii, qui a v. 20 umbram loquentem facerent. Neutris assentior. Immo verba umbrae incipiunt, ni fallor, a v. medio 15 „Sed omnes una manet nox“. Etenim sententia his verbis expressa partite explicatur: Furiae dant alios Marti, nautis exitio est mare, nemini parcit Proserpina. Hanc optime excipit v. 20 „me quoque Notus obruit undis“. Scilicet particula quoque impedit,

[1]) Latein. Synonymik. P. V, 299: „Der censens wird als stimmender senator, der iudicans als förmlicher Richter, der arbitrans als Schiedsrichter, der aestimans als Taxator vorgestellt. Da diese sämmtlich als berufene Urtheiler gedacht werden, so tritt der Begriff des subiectiven Dafürhaltens bei ihrer Meinung als einer competenten Begutachtung weit mehr in den Hintergrund, als bei opinari, putare, existimare, reri und ducere, wobei man zunächst an Privatmeinungen denkt.“

[2]) Cfr. Horatiana in der Zeitschrift f. Alterthumswissenschaft 1841, Nr. 55.

[3]) Dillenburgeri Quaestt. II. in Od. I, 28, a. E.

[4]) Eichstadius de od. I. 1.

[5]) In Iahnii annal. phil. et paedag. P. 79. 80. Fasc. 8 „Horatiana“ pag. 380.



quominus ab hoc demum versu Horatius umbram loquentem induxisse putetur. — Quae quum ita sint, nulla alio ratio reliqua esse videtur, quam ut totum carmen in duas dividatur partes, quarum prior v. 1—15 habet nautam, qui quum mortuum Archytae corpus in litore Matino deprehendisset, hunc solatium petere iubet ab heroum ipsiusque Pythagorae, qui magister ipsius fuerit, exemplo. Altera parte v. 15—36 primum umbra probat illud argumentum dicens: nemini sane parcitur, sed omnes una manet nox. Deinde rogat nautam, velit pulverem iniicere cadaveri“. Miror sane, quomodo vir egregius in istam sententiam delapsus sit. Ea enim multis incommodis laborat. Primum omnino hoc carmen personis nautae et Archytae tribui multa, quae iam supra attuli, vetant. Deinde in Archytae Pythagorei mores, si tales sunt, quales contra Schreiberum[1]) volumus, non convenit anxio atque sollicito animo esse de cor poresepeliendo aut certe arena aspergendo: quod iam Brandtius l. l. ex v. 13 „nervos atque cutem morti concesserat atrae“ bene eruit. Quid Archytae, qui ex corporis vinculis tanquam e carcere se evolaturum esse arbitrabatur, interfuit, humine an sublime putresceret? Nonne Pythagoras in Ovid. Met. XV, 153—158 orat:

> Quid Styga, quid tenebras et nomina vana timetis,
> Materiem vatum falsique pericula mundi?
> Corpora sive rogus flamma seu tabe vetustas
> Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
> Morte carent animae semperque priore relicta
> Sede novis domibus vivunt habitantque receptae.

Tum particula „sed“, quae aut restringentis aut concludentis est, in Ruedigeri interpretatione plane negligitur; particula „at“ potius, quum ea respondentis vel rectius opponentis sit, nobis hic scribenda fuisset, si illius viri opinio digna esset, quam tueremur. Denique verba „nemini sane parcitur“ supplere suamque sententiam, quasi vv. „ita quidem, sane quidem“ iure legantur, extrinsecus afferre non licet. Postremo, ne in medio versu alteram personam dicere coepisse statuamus, re certe insolita prohibemur.

Dillenburgerus[2]) longius Ruedigero progressus, quod v. 14 etiam nautae tribuendus sit, v. autem 20 „saeva caput Proserpina fugit“ propter artum, quo cum insequente coniunctus sit, vinculum Archytae adimi non possit, fines utriusque orationis inter hos duos versus ita constituendos censet, ut nautae sedecim primi versus, Archytae reliqui attribuantur. At Dillenburgerus errat. Iam igitur Eichstadius l. l. plura eius argumenta refutavit. Primum enim ille: „Carmen“, inquit, „cum novem strophas complectatur, ex quibus nautae quatuor, quinque Archytae sunt, in duas aequales partes dividitur.“ At ubi est illa partium aequalitas? Tum pergit: „Tam diversa sunt mortis exempla, quae vv. 7—20

[1]) Schreiberus ab Horatio hic eodem modo, quo Epod. 15, 21, Epist. II, 1, 52, Pythagorae somnia irrideri ratus Archytam non sibi constantem describit, sed dicentem inducit „sese iam intelligere, quantopere erraverint et ipse et αὐτὸς Pythagoras, sumentes animas non in Tartara, sed in alia corpora migrare; umbram suam cohiberi circa corpus inhumatum ac ne in Tartara quidem pervenire posse“, itaque enixe precantem, ut iusta solvat ipsi nauta quietemque conciliet.

[2]) In quaestt. Horatianis. Bonnae 1841.

proferuntur, ut non potuerint ab uno homine proferri. Superiora enim exempla ostendunt Tantalum, Tithonum, Minoem summis etiam honoribus magnisque fortunis non potuisse liberari a moriendi necessitate idque ita ostendunt, ut acerbitatem et contumeliam non excludant optimeque deceant hominem, qualem nauta toto carmine se praebet; inferiora autem, quum communem illam omnium mortalium conditionem ita magis describant, ut consolandi gratia commemorata videantur, Archytae esse perspicuum est." Ego vero nec in nautae exemplis acerbitatem aut contumeliam nec in Archytae verbis consolationem usquam reperio. Quod autem gravissimum est, Dillenburgerus prorsus non cognovit, quam arte verba praecedentia „Sed omnes — via leti" cohaereant cum iis, quae vv. 17—20 subsequuntur. Quam egregia verborum continuatio, quam bella sententiarum perspicuitas! Etenim nexus est hic: Omnibus aliquando imposita est moriendi dira necessitas; sed mille sunt viae leti, maxime varia sunt mortis genera: alii alia subeunt. Hi in pugna cadunt, illi undis merguntur: omnes eodem coguntur sive senes sive iuvenes; neminem mors timet. — Deinde: „Haud temere", ait, „factum videtur, quod nauta exemplis afferendis octo versus, Archytas quatuor tantum compleat; nam illius est in communis sortis humanae miseria describenda cum delectatione quadam morari". Ad hoc Eichstadius bene respondit id esse argutari et poëtae obtrudere, de quibus non cogitavisset. Ac quid est, quod nauta hominum miseriis supra modum delectetur? Denique Dillenburgerus ne id quidem praetermitti voluit Horatium additis aliquot exemplis adiunctaque generali sententia rem tamquam absolutam mittere, ad aliam transgressurum. Ut vero intelligas, quam bene Obbarius contrarias partes egerit, conferas, quaeso, Od. II, 13, 13—20. Ita enim fert Horatii mos, ut, quam primum universe indicavit sententiam, deinde per partes persequatur. Satis igitur argumenta Dillenburgeri videntur labefactata.

Sunt porro, qui statuant nautae versus viginti priores tribuendos, ita ut Archytae oratio demum a v. 21 incipiat. Cuius sententiae iam Torrentio et Sanadono auctoribus acerrimus propugnator exstitit Ph. Buttmanus[1]), quem et Duentzerus[2]) novo ex metrica ratione argumento addito et Gernhardus[3]) sequuti sunt. Ille, quum ad vocc. „Te" v. 1. et „Me" v. 21 animum intendisset, haec a poëta inter se consilio opposita ratus, carmen in duas paene aequales partes dividendum esse iudicavit, ut „Te" et „Me" quam maxime sibi responderent. Non opus esse ait verba „Me quoque" ab eodem homine proferri, qui antea dixerit; ideo nihil obstare, quominus inde a v. 21 alter loqui coeperit. — At primum nimis arguti est concludere, si alterius oratio per voc. „Te" incipiat, eam longius produci non posse quam ubi voc. „Me" occurrat: quod si verum esset, inde sequeretur, ut semper alterius personae esset per v. „me" respondendi initium facere. Tum verba „me quoque" iubent vv. 21 et 22 eidem assignari, qui de mortis necessitate ne iuvenibus quidem evitanda copiose disseruerit; nam ex iis elucet eum, qui antea loquentis partes egit, persuasum

1) In Mythologo Bd. II p. 369. Berolini 1829.
2) Kritik und Erklärung der Oden des Horaz. Brunovic. 1840 p. 61.
3) De compositione carminum Horatii explananda. Partic. I. Vimar, 1841. Partic. III, 1843.



habere quum omnibus aliis moriendum aut fuisse aut fore tum sibi ipsi viam leti fuisse calcandam. Si aliter res se haberet, continuus sermo temere dirimeretur. Valde igitur aptum sententiarum nexum censeo esse hunc: Tibi, Archyta, moriendum fuit: summi ipsi viri et heroes et sapientes occiderunt. Omnes sane fatum cogit, nemini parcit. Ergo mihi quoque eadem sors obtigit. — Praeterea Weiskius non inepte memorat[1]) totam orationem, si eius et argumentum et formam spectemus, nautae moribus parum convenire: quippe quae, quamvis doctrinae ex mythologia et sacris petitae plena, certum finem nec prodat et longior sit, quam ut hominem maxime festinantem deceat. Deinde Archytae responsum, si quidem id v. 21 habemus, verbis paulo ante ex nautae ore auditis male respondet. Quid sibi vult Archytas? Aut grandibus verbis dicit, quae nauta iamdudum non ignorat (cfr. vv. 1—3), aut suum ipsius animum ad nautae orationis veritatem intendit, quasi ille ipso doctior sit. Hocne an illud ineptius sit, nescio. — Nunc unum restat, quod leviter attingam. Bentleius scribit elegantissimum N. Heinsium in ora libri sui notavisse: „Forte „„Te quoque"", adeo ut a v. demum 23 Archytas loqui incipiat". Heinsius igitur, licet vv. 1—22 artissime inter se cohaerere nec posse distrahi bene intelligeret, sana interpretatione verborum „Me quoque" desperata nihil aliud sibi relinqui putavit, quam ut „me" cum „te" mutaret. Ac quid inde lucratus est? Coniectura ista non solum ab omnium codicum auctoritate discrepat, sed etiam aliis quibusdam difficultatibus laborat. Nam Archytam potius quam nautam dicere decet, ubi et quando naufragium factum sit. Et quam languidum eadem, quae iam supra disertius dicta erant, infra paulo brevius et minus ornate repetere!

Postquam de eorum, qui inter Archytae umbram et nautam quendam dialogum in promptu esse dicunt, argumentis satis disputavimus, iam in eo est, ut consideremus, qualis sit sententia eorum, qui initio quidem nautam ad Archytam, tum vero naufragum aliquem ad nautam verba facere contendunt. Quam novam personarum distributionem et scenae descriptionem primus amplexus est vir ille ingeniosus ac doctissimus, cuius nomen Orellius tacuit, ne amicus rusticis stultisque conviciis ab ineptis hominibus laceraretur.[2]) Lubenti animo ei assensus ipse Orellius, qui antea μονολογίαν defendisset, ad illam inclinare animum eo magis profitetur, quod eandem prorsus inscio amico suo iamdudum Stephanus Pallavicinus Italus proposuerit. Orellii autem vestigia pressit Martinus, qui simul vv. 17—20 ut ab Horatio non profectos uncinis inclusit nec certa antistrophicae rationis indicia apparere negavit. Primum, ut a gravissimo Martini argumento exordiar, mihi quidem probari non potest hoc carmen esse antistrophicum. Ille vero: „Respondent sibi", inquit, „Te v. 1 et Me v. 21, tum etiam v. 9 et v. 29, ergo altera strophae et antistrophae parte dimidia incipiente, iisdem versuum locis IOVis et IOVe, TArENTi et hAbENTque,

v. 9 Et IOVis arcanis Minos admissus, hAbENTque
v. 29 Ab IOVe Neptunoque sacri custode TArENTi.

1) l. l. pag. 356.
2) Q. Horatius Flaccus. Editio III. Vol. I. Turici. pag. 160 sq.

Sed, ut vocabula Me et Te, de quibus iam supra ex contraria parte commemoravi, inter se opposita sint, quis est, qui ex indiciis tam exiguis et infirmis idem quod Martinus colligere velit. Similitudo, quae non reperitur nisi in iisdem quatuor literis vocabulorum plane inter se diversorum, sane nulla est, praesertim quum eiusmodi exemplum in carmine XXVIII non amplius appareat. Ac vereor, ne vir doctus idem senserit. Dicit enim imperfectam illam rationem esse eo, quod neque incisa utriusque partis eadem sint neque interpunctio. Ut autem T e v. 14 et 34 et v. 16 S e m e l, v. 36 T e r eodem referantur, ipse non vult auctor esse. Quam temere egisset, si aliter iudicasset! Nam neque illud pronomen, quod v. 14 Archytam, v. 34 umbram naufragi ex Martini sententia designat, nec numeralia adverbia eandem sedem in versibus sibi respondentibus tenent, nedum nexus sententiarum, ad quas illa vocabula adhibeantur, simile quid habeat.[1]) „At sententiae", ait[2]), „utriusque partis satis sibi respondent. Nauta enim, ut Tarentinus et homo non indoctus, Archytae sepulcro conspecto memoria clarissimi viri et civis movetur quidem et de moriendi necessitate plenius disserit, sed idem ut mercator soli quaestui ac lucro addictus haec ita profert, ut pro aetatis illius ingenio et religione et superstitione liberum admodum eum esse appareat. Nam illas de Tantalo, Tithone, Minoe fabulas pro meris fabulis ab eo haberi id mihi videtur demonstrare, quod Pythagoram irridet evidentissime." Sed fac Tarentinum esse nautam idque ex insigni navis perspici potuisse: quamquam Ianius, mihi crede, ex vocc. „sacri custode Tarenti" v. 29 iure nihil aliud coniiciendum putat quam eum modo, qui illa dicat, i. e. naufragum quendam civem Tarentinum esse. Num inde efficitur, ut v. „nauta" eodem sensu ac v. „mercator" ponendum sit? — Utcunque ea res se habet, nec in vv. 7—15 nec imprimis in verbis „naturae v e r i q u e" irrisionis quidquam inest: quam sententiam etsi iam antea confirmare studui, nunc iterum paucis attingere mihi liceat. Facile intelligitur Pythagoram „non sordidum auctorem naturae verique" appellatum esse, non quo eius sapientia, doctrina, veritatis studium in dubium vocarentur, sed quia ita probatum est philosophum Samium rerum naturalium et moralium investigatorem fuisse haud spernendum i. e. insignem. Iam Graevius: „Veritas", ait, „est ethica, quia veram rationem vitae, virtutem, praecipit". Itaque per dicendi formulam „natura et verum" nihil aliud quam Physica et Ethica, universa veterum philosophia significatur. Quod autem ad Tithonum[3]) attinet, quem poëtae veterumque opinio immortalitate donatum, non mortuum fingebat, sed aut „longa minui senectute" aut in cicadam mutatum[4]) fac consideres Horatium et II, 16, 30 de Laomedontis filio tanquam heroe tandem senio absumto cogitasse, quemadmodum Bentleius sagacissime interpretatur scribens: „Ceterum viderit Noster, quos auctores sequatur, quum et hic et Carm. II, 16 Tithonum in mortuis numeret". Huc accedit, quod senectus veteribus semper aliquid foedum, etiam morte tetrius videbatur (cfr. Mimnermus in Stob. floril. CXVI, 33. Hesiod. th. 225. Sophocl. O. C. 1234. Eurip. Herc. fur. 639), et in talibus rebus quum fabulae dissentirent, poëtae, ut supra monuimus, semper id, quod modo ex re erat, sequebantur. Inde vero, quod poëta Tantalum Pelopis genitorem vocat, concludere Horatium illi de Pelope a patre mactato disque in convivio apposito fabulae alludere voluisse, quid est aliud nisi indulgere argutiis? — Tum Martinus in duarum personarum, quas inter se colloquentes fingit, morum descriptione ita pergit: „Ut ipse nauta", inquit, „tranquillo mari placido aequalique cursu vehitur, sic oratio eius uno et continuo quasi flumine tranquille et aequaliter usque ad exitum procedit; omnia artissime iuncta et connexa sunt, nusquam asyndeton deprehenditur. Longe alia maximeque diversa oratio est naufragi. Vehemens ea est, graviter urgens, concisa omniumque ambagum expers, asyndetis in posteriore parte abundans (vv. 30. 33. 35). Haec si vere dixi, sua sponte apparet non posse eiusdem esse verba, qui praecedentia dixerit." Sed Martinus non vere dixit; nam veris falsa admiscuit. Num duorum hominum animi semper diversis affectibus agitantur? An nunquam fieri potest, ut unus idemque inter spem metumque haesitet eiusque animus vario rerum impetu fluctuet maris undae instar tum crescentis tum decrescentis? Itaque illud Martini argumentum infirmum videtur eo magis, quod — fac, quaeso, naufragum quendam solum hic loqui — per se intelligitur naufragi umbram circa corpus suum inhumatum errantem primo quidem ea conditione fuisse, ut Archytae, optimi civis, Tantali, Tithoni, Minois, Pythagorae obitum reminiscens et communem omnium suamque ipsius moriendi necessitatem humiliter demisseque deplorans oratione tranquilla et aequaliter miserabili uteretur, postea autem, ut nautam litus Matinum modo praetervehentem ad corpus sepeliendum impelleret, summae animi perturbationis plenam tum blandis supplicationibus tum gravibus obtestationibus exsecrationibusque aures eius fatigasse. — Postremo, quanta utriusque orationis partium sit aequalitas, Martinus demonstrare conatur:[1]) quam rem mittere mihi liceat, praesertim quum eandem hic non cerni aequalitatem quam apud Graecos poëtas ex parte ultro concedatur. (Cfr. vv. 2—4: „cohibent — munera" et vv. 23—25: „at tu — dare", tum vv. 9—15: „habentque — verique" et vv. 29—34: „neglegis — resolvent.") Proinde vv. 17—20 certo non possunt exstirpari, quod antistrophicam carminis rationem turbent ac moveant. Martinus igitur quasi timens, ne quid argumentationi suae desit, eos propter alias etiam causas subditicios habendos esse affirmat. „Sententia", ait, „eorum orationis nexui non conveniens est; nam postquam inde a v. 7 exemplis demonstratum est omnibus moriendum esse, verbis „Sed omnes una manet nox et calcanda semel via leti" plane absoluta est oratio, ut nihil amplius desideretur." Sed nonne iam supra disputavimus omnia vv. 17—20 dicta ex vv. 15 et 16 apte pendere, vv. 15—20 vel artissimo sententiarum vinculo inter se cohaerere, Horatii praecipue esse sententiam primo in universum delineatam deinde per partes explicare et persequi totamque rem sub finem ut plane absolutam iterum complecti? Pergit vero adversarius: „Sin", inquit, „docendum erat alios alia morte perire, cur bellum et mare potissimum af-

---

[1]) Semel e. g. v. 14. certe elegantissime pro voc. „aliquando" ponitur.
[2]) Martin pag. 12.
[3]) Preller Griech. Mythologie. Lpz. 1854, Bd. I, p. 300.
[4]) Servius ad Vergil. Georg. I, 447.



---

[1]) l. l. pag. 13.

feruntur? Nonne multo plures neque hoc neque illo moriuntur?" Sed haec verba quid sibi volunt? Nam, etsi longe plurimi et in pace et in terra moriuntur, belli et maris pericula pavidis hominum animis semper tanta videntur, ut ea in angustiis miseriisque vitae humanae considerandis imprimis memorent. Ac profecto satis hominum eorumque fortium et audacium bello marive interit. Nonne porro poëtae licet ex variis diversisque mortis generibus nonnulla, quae arrideant, eruere, quum eius non sit in rebus generalibus et universis nos retinere? „At non melior ratio est verborum: Mixta senum ac iuvenum densentur funera." Miror sane: nam poëta bene procedit, quod vv. 17 et 18 homines omnium ordinum, v. 19 homines aetatis cuiuslibet morti succumbere nobis ornatius ostendit. — Praeterea vero hi quatuor versus propter eum, qui in iis inest, orationis colorem obelisco notantur. Quum enim ceteri carminis oratio simplicitate excellat egregia, tumidiorem esse illorum dictionem, maxime primae sententiae: „Dant alios Furiae torvo spectacula Marti", et ultimae: „Nullum saeva caput Proserpina fugit". Primum, ut pauca statim addam, nescio an oratio hoc vitio etiam antea laboret (cfr. de Pythagora dicta vv. 9—13: habentque — atrae), tum vv. 25—29 quoque: „sic, quodcunque — Tarenti" tumore plane non carent. Huc accedit, quod iis, qui hoc carmen ab Horatio mature — quamquam incertum est, num eo ipso anno (717), quo poëta in litore Matino commorabatur, scriptum sit, certe tamen constat non ita multo post iambos a. 724 editos factum esse — compositum iudicant, assentior atque existimo in eo aliquot vestigia inesse, quae vatis ingenium non satis subactum manifestent[1]): nam quum et antiquioris et recentioris aetatis poëtae tum Horatius ad summum perfectionis fastigium nisi per gradus eniti non potuit.[2]) Dissentio igitur ab Martino, qui locos immodico imaginum translationumque usu abundantes non iuvenili poëtae infirmitati, sed iniuriis carmini vel casu vel scribarum errore vel de industria interpolatoris manu factis attribuendos censet. Nam quis est, qui Goethianum illud: „In der Beschränkung zeigt sich erst der Meister" non meminerit? Itaque non est, quamobrem vv. 17—20 ut Horatio alienis eiectis codicum auctoritatem aspernemur. Quid vero inde sequitur? Nihil aliud quam ut Martini verba irrita fiant. Sunt autem haec: „Ex eo, quod „me quoque" dicit (scil. naufragus), ex hac sola particula „quoque" recte colligere possumus Archytam olim naufragio perisse, cuius rei alius testis auctorve nullus exstat, quam neque Diogenes Laertius neque Suidas memoriae prodidit." Nam si verba „me quoque etc." non alterius, sed eiusdem esse apparet, qui praecedentia dixerit, necesse est arte con-

---

[1]) Cfr. Teuffel l. l.: „Das Gedicht ist vom Dichter, der nicht die künstlerische Genügsamkeit und Tiefe besass, welche im Kleinen selbst das Grosse sieht und fühlt, dadurch geschwellt, dass er dic mit dem Gegenstande in Zusammenhang stehenden Gedanken als selbständig behandelt und unverhältnissmässig ausführt."

[2]) Addo Mitscherlichii verba: „Auch Horazens, wie iedermanns Studien sind langsam vorgerückt, und ihre Stufen noch ietzt an manchen Schwächen und Missgriffen kenntlich, deren Spur zu verwischen nichts anderes als Muthwillen und Ungerechtigkeit gegen den strebenden Autor wäre. Offenbar leidet das erste Buch an allen den Mängeln, welche den Anfänger einer ungewohnten Gattung in Hinsicht auf Beherrschung des Sprachschatzes, der Form und Erfahrung drücken mussten."



nexa et colligata sint cum illis quatuor versibus, quos Horatius a se abiudicari non sinit. Atque ita dicendum est etiam Martinum non satisfecisse Meinekio, eorum, qui duarum personarum sermonem defendant, rationem graviter reprehendenti.[1]) Mihi quidem persuasum est illum nihil nisi ingenii ludum dedisse. Fac adeo omnia argumenta, quibus Martinus nititur, vera esse, ut certe non sunt, ubi aliqua similitudo inter notum illud carmen amoebaeum III, 9 et hoc latet? Nonne mirum est, quod contra eiusmodi diverbiorum legem ac naturam non is, quem nauta alloquitur, responsum dat, sed alius quis, cuius ossa et caput inhumatum quasi occultantur, verba facit? Quanto terrore, si quid tale evenisset, nauta perculsus fuisset!

Quum ex hisce omnibus, quae de carmine I, 28 adhuc disputavimus, sponte appareat id nec antistrophicum sive amoebaeum nec omnino duarum personarum sermonem esse, id unum tantum restat, ut de iis, qui dialogum haud agnoscentes totam orationem uni attribuant, accuratius agamus. Nam hi quoque inter se neutiquam consentiunt, sed ad triplicem, quod meminerim, explicandi rationem confugiunt. Alii, ut ad rem ipsam transeam, Archytae ipsius umbram per totum carmen loquentem faciunt. Inter hos imprimis, ut iam supra commemoravi, sunt Acron et Porphyrio scholiastae, qui ad v. 7 haec notant: „Inducitur corpus (Eichstadius recte: immo umbra) Archytae naufragi Tarentini ad litus expulsum conqueri de iniuria sua et a praetereuntibus petere sepulturam." Ac similiter commentator Cruquianus, cuius verba, quod fere idem sonant, hic praeterire liceat. Quam opinionem G. Fabricius adoptavit addens: „Archytas petit maiorem a navigantibus sepulturam", et defendendam curavit Steinerus Comm. Horat. Spec. II pag. 13 sqq. Ea valde placuit etiam H. Peerlkampio, editori Leidensi, quem simul Marklandi maxime vestigiis instantem quum omnes, quae in Horatii scriptis occurrerent, difficultates nulla alia re nisi eiiciendis verbis tanquam subditiciis removisse tum hic quoque, ut meliorem sententiarum nexum ac coniunctionem sua sententia restitueret, vv. 19 et 20 alio abire iussisse cognovimus. „Iacet Archytas", inquit, „in litore iam leviter arena tectus, quam nonnulli praetereuntes ex religiosa consuetudine in ignotum cadaver proiecerant. Praeterit novus nauta, qui festinans officium humanitatis neglecturus esse videbatur, et praeterit tum, quum Archytas secum loqui desierat, dicens: Me quoque devexi rapidus comes Orionis — Illyricis Notus obruit undis. — Ibi forma orationis mutata est; et dixit „Me quoque" pro „Te quoque", quod hic fuisset obscurum, quia statim ad nautam convertitur. Atque ea orationis mutatio propria est, quum nobiscum sive cum animo nostro loquimur." Sed Peerlkampii sententia tot tantisque incommodis abundat, ut Weiskius neminem hanc interpretandi rationem secu-

---

[1]) Philologus l. l.: „Was die Auffassung der eben berührten Ode im Allgemeinen betrifft, so ist bekanntlich in iüngster Zeit die dialogische Form des Gedichts in umfangreichen Abhandlungen von neuem eifrigst behauptet worden. Ohne mich auf eine Widerlegung dieser Ansicht in allen ihren unlogischen Streif- und Querzügen einzulassen, will ich an ihre Vertreter nur die Frage richten, wie sie den Dichter gegen den Vorwurf einer durch und durch unkünstlerischen, aller Concinnität ermangelnden Composition in Schutz nehmen wollen? Wie Horaz die dialogische Form einer Ode behandelt, hat er im neunten Gedicht des dritten Buchs gezeigt."

turum esse sua aetate putaverit. Primum enim fieri non potest, ut Archytas ille naufragus sit, qui sepulturam oret: quam rem iam satis exposuimus. Tum illum se ipsum verbis „iudice te“ alloqui ineptissimum est. Deinde quid sibi volunt verba „Me quoque etc.“? Nonne mirum quantum pro „Te quoque etc. (?)“ dicta repetunt eadem, quae iam in vv. 1—3 insunt? Denique poëtam eo ipso temporis momento, quo Archytam loquentem faciat, nautam aliquem ex improviso aut potius casu praetervehentem inducere, quem ut se sepeliat, naufragus roget, coniectura sane Horatii ingenio parum digna.[1]) Alii autem toto carmine Horatium ipsum primum ad Archytam, tum ad nautam aliquem verba facere student arguere. Quamquam hi quoque in maxime diversas partes discedunt. Sunt enim, qui dicant poëtam initio quidem de Archyta nondum sepulto disserere, postea vero misericordia valde commotum pro philosopho illo clarissimo nautam orare, ut ei ter pulverem iniiciat. Sed de hac opinione breves esse possumus, praesertim quum eius auctor non modo cunctis libris mss. invitis v. 21 „Te quoque“ legendum coniiciat,[2]) verum etiam verbis „te cohibent etc.“ falso interpretatis ad Graecum quoddam exemplar volenti animo quasi refugiat. Num poëta rerum olim peractarum ita rationem habere potest, ut in iis describendis de se ipse simul moneat, quae suae condicioni prorsus repugnent? Quid quod in Horatium conveniunt omnes istae supplicationes et maxime verba haec: „Precibus non linquar inultis“? Profecto non pro alio precantis, sed pro se supplicantis est ea, quam nunc habemus, oratione uti! Huc accedit, quod, sive poëtam prope Archytae ossa adesse sive longe abesse fingimus, quid ille sibi velit, minime intelligimus. Si adest, quid obstat, quominus ipse mortuum sepeliat? Si abest, qui fit, ut mortui umbram alloquatur ossiumque locum nobis ostendat, quasi adsit? Quam rei asperitatem evitaturi omnes ii interpretes, qui Horatium aliquando in itinere maritimo paene undis obrutum suum sibi periculum in memoriam revocasse, poëtico modo exornasse, se tanquam naufragio re vera exstinctum suamque umbram ut prope ossa inhumata trementem finxisse arbitrantur, in alias angustias inciderunt. Atque ita in eos vox illa quadrat, quam Weiskius contra Heinzelmannum laudat: Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim. Hanc vero sententiam, poëtam suam sibi mortem mente repraesentasse, Duent-

---

[1]) Luebker, Commentar z. Horazens Oden p. 161 sqq.: „Wie widersinnig die Selbstcharacteristik, wie wir sie im Eingange lesen, wie fast komisch die Annahme eines plötzlich mitten im Verlaufe des Gedichts vorübersegelnden Schiffers, da doch dem Dichter freistand, eine solche Situation von Anbeginn vorzubereiten und zu berücksichtigen!“

[2]) Heinzelmann: „über Horaz 28te Ode des 1. Buchs“ in „Philosoph. Blicke auf Wissenschaften und Menschenleben.“ Bd. I, St. I, pag. 120—127: „Man verändere das „Me“ v. 21 in „Te“, wie schon Heinsius, aber aus andern Gründen vorschlug, so stürzt die ganze Hypothese von einer so wunderbar dramatischen Ode über den Haufen. Wir haben nun Empfindungen des Dichters bei dem Tode des Archytas, zu denen Horaz wahrscheinlich keine andere Veranlassung hatte, als das Vorbild irgend eines griechischen Dichters, der vielleicht als Zeitgenosse den Tod dieses berühmten Mannes besungen hatte. Man weiss ia, dass die meisten Oden des Horaz solche Nachahmungen aus dem Griechischen sind.“ — „Man vergesse bei dieser letzten Apostrophe vv. 23—36 nicht, dass sich Horaz mit seinen Empfindungen in eine ferne Vergangenheit versetzt. Er singt ganz dem griechischen Dichter nach, dichtet ganz aus der Seele dessen, der den unbegrabenen Leichnam vor sich sieht.“



zero auctore iam Gesnerus proposuit: posthac eam defendit Io. Iac. Hottingerus in opusculis suis philol., critt. atque hermeneuticis Lipsiae 1817 editis. Nec aliter in dissertatione sua eleganti ac perpolita iudicavit Weiskius[1]). Horatius, ait, quippe qui de se ipse diceret Od. II, 6, 7 „sit modus lasso maris“, Od. III, 4, 28 „me non exstinxit . . . Sicula Palinurus unda“, Od. III, 27, 18 „ego quid sit ater Hadriae sinus novi“, olim prope litus Matinum non multum abfuit, quin naufragio periret. Quemadmodum enim Od. I, 22 in silva Sabina lupum, Od. II, 13 in pago triste lignum aegre se fugere meminit, ita hic quoque Archytae sepulcrum denuo conspicatus suum ipsius casum, quo paene in mari interiit, mirum quantum recordatur. Quum vero sese iam examinem in litore iacentem suamque umbram circa corpus insepultum errantem animo fingat, facile poëta eo adducitur, ut se mortuum inducat primo sui consolandi causa Archytam, tum nautam aliquem sui sepeliendi causa alloquentem. Sed ea interpretatio vereor ne longius repetita ab Horatii ingenio plane aliena sit. Licet Dircaeum cygnum, ut poëtae verbis utar, multa aura levet, Horatius instar apis Matinae in altos nubium tractus non tendit. Ac quoniam veterum poëtarum mos raro ita fert, ut homines vivos, ne dicam mortuos se ipsos alloquentes faciant[2]), quanto magis cavendum est, ne iis temere assentiamur, qui vatem Venusinum, insolito animi ardore inflammatum, semet ipsum mortuum finxisse censeant! Audio: id utique Od. II, 13 factum est. Immo vero rem contrariam Horatius indicat v. 21 sq.:

„Quam paene furvae regna Proserpinae
Et iudicantem vidimus Aeacum . . .“

Licebatne poëtae, quo consilium suum tenderet, nulla litera nobiscum communicare? An ex verbis „Me quoque etc.“ Weiskii opinio iure eruenda est? Tum nescio an verba „iudice te“ in Horatii ipsius ore fastidium arrogantiamque redoleant. Et quae tandem ista conditio est naufragi non naufragi, mortui non mortui, sepulturam impense orantis nec ea egentis nec volentis vivum se humari?[3]) Nonne hic multo magis valet, quod Weiskius ipse contra Heinzelmannum aspere notat?[4]) Quibus incommodis ut se, quantum possent, expedirent, novas sane easque inter se diversissimas explicandi rationes afferri duobus interpretibus visum est, Luebkero dico et recentissimo tempore Schmidtio. Ille enim *μονολογίαν* non proprie dictam, sed poëtae *φάντασμα* in promptu esse docens: Nihil, ait, nos cogitare prohibet neque nautam neque umbram mortui ab Horatio vere inductam esse, quippe qui id

---

[1]) l. l. pag. 361.

[2]) E. g. Carm. III, 12, quod ad Neobulen inscribi solet, cuius titulus ex Hartungii sententia est „das betroffene Mädchen“. Is simul addit: „Hier wäre zu malen: Ein Mädchen bei verlassener Arbeit am offenen Fenster stehend, zusammenschreckend vor der Erscheinung des Oheims, welcher mit zornigem Gesichte zur Thüre hereintritt. Durch das offene Fenster erblickt man die Ursache der Störung, den Hebrus zu Pferde.“

[3]) Martin pag. 9.

[4]) Weiske pag. 358: „Woher dies ängstliche Flehen, mit Verheissung und Drohung und mit Bitten um nur drei flüchtige Würfe Staubes, ganz im Tone eines für sich selbst und für seiner Seele Heil Flehenden, wenn es eine blosse Fürbitte gilt?“

tantum agat, ut homines acerrime hortetur, ne aut pietatis erga mortuos obliviscantur aut iis munera suprema denegent.[1]) At Luebkerum vehementer errasse patet. Nam quum poëtae omnis aetatis tum Horatius nihil antiquius habet, quam ut in singularibus versetur, non in universum tendat. Iam in eo est, ut ad Schmidtii sententiam iudicandam transeamus:[2]) qui quidem, postquam de verbis „Sed omnes una manet nox et calcanda semel via leti“ falsa veris admiscens brevi disseruit, totum carmen orationem esse affirmat Horatii: primo illum ad Archytam, cuius sepulcrum sive Tarento rediens sive Tarentum petens ex alto conspexerit, tum vv. 21 et 22 ad se ipsum in tempestate modo versantem, deinde a v. 23 verba facere ad nautam, cuius navi ipse vehatur. Ergo poëtam non tam sibi in memoriam revocasse censet suum ipsius casum, quo olim in mari Hadriatico paene obrutus fuerit, quam suum tantum sibi periculum mente repraesentasse, in quod nautae malignitate nimiaque audacia re vera adductus fuerit. Ut enim verba vv. 1—20 hominis Archytam irridentis sint, ita vv. 23—36 per εἰρωνείαν quandam loquentis et nautae temeritatem acriter carpentis esse. — At vero in priore carminis parte et Archytae et Pythagoreorum doctrinae irrisionem inesse non potest demonstrari, praesertim quum „semel“ non ponendum sit pro „non iterum“, sed eleganter dictum videatur pro „certe aliquando“: nec in altera parte quasi ἀλληγορία quaedam manifesta est. Qui fieri potest, ut verba „ossibus et capiti inhumato“ non mortuum, sed hominem imbre et undis valde vexatum significent? An concedendum credideris Od. I, 5, 13—16

„Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.“

Horatium non tam per iocum dicere semet ipsum, veluti naufragum ex fluctibus, puellae amorem vix tandem effugisse, quam illa verba „uvida suspendisse vestimenta“ ad magnam turbulentamque tempestatem sibi impendentem tantum referri velle? — Attamen etiam longius a poëtae mente aberravit Schmidtius, quum diceret vv. 23—25 „at tu, nauta . . . particulam dare“ nullam aliam exprimi sententiam nisi hanc: Desiste ossibus meis

[1]) Lübker p. 164: „Was hindert uns denn, so wie wir bei dem nauta gewiss an keinen in dem Augenblicke vorüberfahrenden Schiffer, sondern allgemein an die ganze Klasse der Handeltreibenden zur See denken werden, so auch bei dem ossibus et capiti inhumato nicht sowohl den einzelnen, zufällig daliegenden Leichnam uns vorzustellen, sondern allgemein uns die Pflicht zu vergegenwärtigen, die den Todten gewissenhafte Ehrfurcht und die Wohlthat der Bestattung zu gewähren befahl?“

[2]) Zu Horat. Od. I, 28 in d. Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen. Iuli 1859 pag. 571 sq.: „Vom Platzregen und den Fluthen überfallen und durchnässt, worauf er witzig mit ossibus et capiti inhumato anspielt, sucht Horaz den unerschrockenen Schiffer oder rastlosen Negotianten zu bewegen, dass er lande, bis das Wetter und die Gefahr vorüber sei.“ — „Sagen denn die Worte: „„At tu, nauta . . . particulam dare““ eigentlich: Doch du, Schiffer, begrabe mich? Sie bedeuten ia nur: Unterlasse nicht hartherzig, meinen Gebeinen und dem noch unbeerdigten (deshalb aber nicht todten [?!]) Haupte ein Theilchen flüchtigen Sandes zu geben, was der Schiffer nur thun konnte, wenn er landete.“ — „Die Worte iniecto ter pulvere weisen allegorisch nur auf eine bestimmte Pflicht hin, die ieder leicht erfüllen konnte und nicht ungestraft versäumen durfte.“



capitique inhumato (i. e. nondum mortuo?) exiguam arenam denegare, ad litus portumve navem quam primum appelle, ut ex periculo summo incolumis evadam. Et cui tandem probatur verborum „iniecto ter pulvere“ interpretatio a Schmidtio commendata? Ubinam illa per ἀλληγορίαν posita munus aliquod certum indicant, quod quemque cuique praestare oporteat nec impune praetermittere liceat? Nonne potius semper eorum sunt, qui inhumato mortui corpori ad iusta solvenda manipulum pulveris terraeve aut glebam iniiciant? Sed manum de tabula!

Quodsi haec vere disputata sunt, una tantum interpretandi ratio nobis restat, quam a difficultatibus liberam me sectari libenter concedo. Totum carmen orationem putamus nullius esse nisi umbrae naufragi cuiuslibet, quem sive Tarentinum sive hominem satis eruditum fingere liceat. Ea igitur, cuius corpus ex fluctibus eiectum prope ad Archytae sepulcrum iacet inhumatum, primo philosophum illum Tarentinum ita alloquitur, ut quum diram omnibus moriendi necessitatem tum clarissimorum virorum, heroum et sapientium, obitum reminiscens in suis ipsius miseriis se consolari studeat, deinde ad nautam aliquem litus Matinum legentem, ut sibi ter pulverem iniiciat, blanda et dulcia, gravia et aspera, ut ex re est, verba faciat. Audio quidem ex Martino, quum dicat totam ad Archytam orationem talem esse, quae naufrago parum conveniat. Quid enim posse ab eo alienius esse quam irridere et irridere eum, qui eodem quo ipse casu perierit? Tum quid sibi velle exempla Tantali, Tithoni, Minois, Pythagorae? Sed iam supra demonstravimus vel in verbis, quae ad Panthoiden respiciant, nihil irrisionis inesse. Exempla vero Tithoni, Tantali, aliorum afferuntur, non quod ille naufragus Archytam plus trecentis annis ante mortuum iis consolari velit aut sibi ipsi moriendi necessitatem iam experto eiusmodi argumentis opus sit, sed quia „socios habuisse malorum“ homines maxime iuvat. Huc accedit, quod quum heroum tum Pythagorae, philosophorum ducis, exemplis sibi demonstratum vult non esse, cur Archytae sortem valde miretur. Non gravior est altera dubitatio. „Quomodo fit“, inquit Martinus, „ut, quum casu (?) Archytae eodem loco olim eiecti sepulcrum prope adsit, is cui nihil magis curae esse possit, quam ut sepeliatur, hunc et hoc quidem modo alloquatur? An ut tempus fallat, quod longum ei videtur?“ Ad haec iam Weiskius mea sententia bene respondit[1]). Non dubium est, quin res hic descripta vere usu venerit. Poëta tantum abest ut personam naufragi finxerit, ut tam miserum hominem in litore Matino ipse viderit. Cur autem Archytam ab naufrago compellari ineptum sit, non intelligo. Nonne eius sepulcrum ante oculos positum erat? Nonne ex Archytae exemplo unam et communem omnium sortem optime cognoscimus, quoniam ex eo elucet vel iis, qui humanae naturae modum quodammodo excedant, mortem non parcere? Atque ita nihil habes, quod Archytam tanquam olim undis obrutum apte compellari cogites. Nam ego quoque vellem Horatius Archytam naufragio perisse verbis expressisset. — Porro sunt, qui mirentur de naufrago nihil dictum esse, unde certum aliquid colligere possimus, nisi quod ex v. 29 erui queat. Sed cur poëta nihil aliud quam naufragum Tarentinum esse nobiscum communicaverit, investigare omnino

[1]) l. l. pag 360. init.

meum non est. Mihi potius Brandtius bene fecisse videtur, quod Voltarii verba meminit haec: „Le secret", inquit, „d'être ennuyeux c'est de tout dire". Postremo cave, ex verbis „At tu, nauta etc." coniicias nautam ab umbra subito conspici: nam si veterum poëtarum rationem maxime in ἐπιγράμμασιν ἐπιτυμβίοις[1]) diligentius consideraveris, eos reperies semper ita instituisse, ut pastores quidem mortui homines solos suae ipsorum conditionis, sed naufragio exstincti nautas tantummodo sui sepeliendi causa alloquerentur. Qua re poëta, quod de certa nautae persona hic non cogitabat, casui utique locum non dedit: nec iure quaeri potest, quid futurum fuerit, si nauta non venisset.

Itaque argumentum carminis hoc statuimus: Umbra naufragi prope Archytae sepulcrum errans apud nautam quendam sic verba facit: „Occidit", inquit, „Archytas, cuius tumulus in conspectu est; occiderunt Tantalus, Tithonus, Minos, Pythagoras: moriendum est omnibus; mihi quoque moriendum fuit. At tu, nauta, ut ab Iove et Neptuno tibi magnum pietatis praemium conferatur, mihi inhumato iusta solvere ne praetermiseris. Quid? — mora enim quadam interposita ita pergit — cunctaris? Tale facinus committere non curas? Profecto, si a te relinquar insepultus, exsecrationes meae non remanebunt inultae[2])". Hic iterum insistit oratio[3]); tum umbra: „Licet festines, mora est brevis; ter, quaeso, glebam mihi iniice". Sunt quidem, qui quaerant, num nauta illius corpus humaturus sit; id vero mihi non libet diiudicare. Unum tantum compertum habeo poëtam non id egisse, ut sive de communi omnium morte sive de mortuis pie colendis sive de alia re nos doceret, sed naufragi sepulturam orantis imaginem plenius ac copiosius adumbratam ante oculos ponere voluisse. Nam per se intelligitur omnes eos, qui in hoc carmine allegoriam quandam suspicentur certumque consilium ad ipsius tempora pertinens cogitari oportere ducant, mirum in modum argutari. Ideo iam recte Ianius: „Nunc", ait, „habent carmen pro irrisione vel disciplinae Pythagoricae vel matheseos vel astrologiae divinandique scientiae: quod volunt Marcil. Torrent. Nunc ad L. Tarutium, celebrem Horatii aetate astrologum (cfr. Cic. Div. II, 47) referunt: quae Cruquii sententia. Nunc — ut Duhameli opinio est — peste grassante civibus sepeliendorum mortuorum officium commendare voluisse poëtam, nunc — auctore Baxtero — callida dilogia Bruti exitum defleri somniant: quibus omnibus enervari potius et obscurari carmen quam roborari illustrarique videtur. Irrisionem certe, quomodo in eo repererint, non capio.[4]) Cui enim familiaris Horatius erit, is eum ridentem aliter plane loqui sentiet ac miserationis potius vocem hic audiet". An ullum vestigium allegoriae certum hic patet? Si aliter esset, nonne poëta, quippe qui consilium suum nulla litera nobis ostenderet, aut obscuritatis aut temeritatis merito accusandus erat? De pietate autem erga mortuos obser-

[1]) Anth. gr. ed. Iacobs lib. VII, 266. 273. 283. 480. 657.

[2]) Cfr. Hom. Od. XI, 72 sq.:

*Μή μ' ἄκλαυτον, ἄθαπτον, ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν,*
*Νοσφισθείς, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι.*

[3]) Similiter compositum Carm. I, 27 ad sodales convivas.

[4]) Obbarius: „Die dem Horaz eigenthümliche Reflexion artete nicht mehr in Zorn und Spott aus, sondern sie wurde Ausdruck herzinniger Zufriedenheit und Aufforderuug zum frohen Lebensgenusse."



vanda sermo sit: quid est quod Horatius de communi mortalium sorte tot verba dicat? Et qui tandem sententiarum nexus, quae concinnitas, si primo omnibus moriendum, tum mortuis iusta esse solvenda accuratius doceri iudices? Vereor, ne, si totum carminis argumentum ad unum modo eundemque finem spectare velis, in errorem eorum incidas, qui non unum, sed duo carmina in promptu esse opinentur.

Utut res se habet, id certe constat Horatium ipsum nisi ossibus naufragi inhumati vere conspectis non eo adductum esse, ut hoc carmen pangeret: nam veterum poëtarum erat occasione quadam oblata ad carmina condenda impelli, non ideo tantum res sibi fingere, ut iis describendis cives docere possent. Sed forsitan aliquis miratus sit, cur res, quae ad Tarentum eveniebant, poetae maxime cordi fuerint. Vellem meminisset carminis II, 6, quod ad Septimium, equitem Romanum, inscribitur, et imprimis verborum:

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae —
Unde si Parcae prohibent iniquae
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet —
— ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

Postremo monendum videtur Horatium quamvis inscium tristi naufragi conditione depingenda eundem finem, quem in multis aliis carminibus sibi propositum voluerit, ex consuetudine sua respexisse. An negas vatem Venusinum toto pectore amplexum esse has cogitationes: „Mors nemini parcit; nec maius quidquam, quum de vita excesserimus, nobis continget quam sepulcrum. Ergo vita, quippe quae brevissima sit, laeti fruamur genioque indulgeamus!" Memineris, quaeso, c. I, 11, 8 sq.:

Dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem quam minimum credula postero.

c. III, 8, 27 sq.:

Dona praesentis cape laetus horae et
Linque severa.

Cfr. I, 4. II, 14. IV, 7. 12.

Haec fere habui, quae de carmine libri primi duodetricesimo dicerem. —

# Schul-Nachrichten.

## A. Chronik des Gymnasiums.

Nachdem der Schulamtscandidat Herr Dr. Proll, Mitglied des Königlichen pädagogischen Seminars, ein Jahr lang die dritte Collaboratur vertretungsweise verwaltet hatte, wurde ihm dieselbe von Ostern 1859 an von dem Magistrat übertragen; diese Wahl fand die Bestättigung des Königl. Provinzial-Schul-Collegiums.

Ueber seine persönlichen Verhältnisse hat er Folgendes mitgetheilt: „Am 13. Januar 1833 wurde ich, Carl Wilhelm Ferdinand Proll, zu Kosten geboren, wo mein Vater Escadrons-Arzt war. Nach seinem Tode wurde ich von Verwandten in Bojanowo erzogen, von wo ich Ostern 1848 mit meiner Mutter nach Breslau zog. Hier besuchte ich das Gymnasium zu St. Maria Magdalena bis Michaelis 1853, vielfach durch die Munificenz dieser Stadt unterstützt. Nachdem ich vier Jahre lang bis Michaelis 1857 auf der hiesigen Universität Philologie studirt hatte, machte ich im December desselben Jahres mein Examen *pro facultate docendi*. Als Mitglied des pädagogischen Seminars begann ich mit dem neuen Jahre 1858 mein Probejahr am hiesigen Gymnasium zu St. Elisabet; doch schon zu Ostern erhielt ich die dritte Collaboratur am Magdalenen-Gymnasium zur Verwaltung. Nach einjähriger Verwaltung ward ich Ostern 1859 wirklicher Collaborator und zugleich Ordinarius der Quinta. Anfang März desselben Jahres hatte ich mir an hiesiger Universität durch eine *dissertatio de formis antiquis Lucretianis* den Doctorgrad erworben.“

Leider traten im Laufe des Schuljahrs neue Veränderungen in dem Lehrer-Collegium ein. Der zweite Collaborator Herr Dr. Klemens folgte zu Ostern einem ehrenvollen Rufe als Oberlehrer an das Königl. Gymnasium in Stolp in Pommern. Das Magdalenen-Gymnasium hatte sich seiner fruchtbaren Wirksamkeit nur 2 Jahre erfreuen können, aber auch in dieser kurzen Zeit hatte er sich die grosse Zuneigung aller seiner Schüler und die herzliche Hochachtung seiner Amtsgenossen erworben, wie sich diess auch bei seinem Scheiden